



1699, 9 13
B. C. D.
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE

CAUTIONE CORREALI,

QVAM
AUXILIANTE NUMINE BENIGNO,

EX
DECRETO & AUTORITATE AMPLISSIMI
FCTORUM ORDINIS IN ILLUSTRIS ET CELE-
BERRIMA ACADEMIA VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO

JCTO,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, EIDEMQ; AULÆ ELECT. CONSILIIS,
Nec non FACULTATIS JURIDICÆ IN ALMA VIADRINA ORDINARIO
& PROFESSORE PRIMARIO,

ANTEA
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI & COL-
LEGII REVISORII ADSESSORE, & IN ACAD. HEIDELBERGENSI DECRET.
PAND. & JUR. GENT. P. P. ORDIN. DIGNISSIMO,
Dn. Patrono ac Fautore submissa devotione colendo,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES & PRIVILEGIA
RITE CAPESSENDI,

Publico Eruditorum Examine submittet
JOHANNES CHRISTOPHORUS SCHEFFER,
MARPURG. HASSUS,
IN AUDITORIO JURIDICO

Ad D. X. Jun. A. C. MDCXCIX. Horis ante- & pomerid.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

DEO
PATRIÆ
PATRONIS, FAUTO-
RIBUS *ac* AMICIS

Uti omnia studia sua, & conamina, ita &
pagellas hasce eâ quâ par est animi
devotione submittit ac offert

JOH. CHRISTOPH. SCHEFFER.



SUMMARIA.

1. **C**autiones ob perfidiam inventa.
2. Quaedam contra incertitudinem nominis.
3. Quaedam contra metum inopia debitoris.
4. Hinc Cautio fidejussoria & correalis; hac optima.
5. Rei dicuntur actor & reus.
6. Correi debendi ut fiant, & vocentur.
7. De eorum usu & formula.
8. Correalis obligatio requirit causam, & ab ea differt.
9. Causam eam sufficit esse in uno correorum.
10. Correi ratione correalis obligationis sunt omnes aequè principales, non ratione causae.
11. In correali negotio plures sunt obligationes personarum, sed unum debitum.
12. Correorum obligatio proprie nec copulativa nec alternativa.
13. In correis sociis duplex negotium est, correalis obligatio & societas.
14. Refellitur sententia, correos ex causa onerosa esse socios.
15. Correorum quicquid agit, petit, remittit, &c. ac si solus esset: & de ejus rei effectu.
16. Novatio quatenus solutioni similis sit.
17. Conciliatio l. 10. & l. 25. ff. de Novat.
18. Differentia solutionis, novationis, & acceptilationis.
19. Differentia inter modos, quibus debitum, & quibus sola obligatio persona tollitur, Correi pactum non prodest non correis, nec fidejussoris reo.
20. At rei pactum fidejussoribus, & quandoque correis &c. exceptio doli.
21. Multum tamen interest, debitum sublatum, an actio elisa sit.
22. Inter correos debendi & credendi socios quid intersit.
23. Pactum reale correi prodest & nocet heredi; non personale.
24. Uni heredum personaliter consuli potest. Expositio l. 56. §. 1. de verb. obl.
25. Pactum correo non prodest, et si is postea heres paciscentes fiat. Explicatio l. 17. §. 4. ff. de Pact.
26. An dispositio d. §. 4. nimis subtilis sit, nec in foro obtineat.
27. Ostenditur, dispositionem d. §. 4. esse aequissimam & juri naturae congruam.

X

| 28, In

28. In casu d. §. 4. correo, qui postea heres existit, jure quoque dari exceptionem doli.
29. Pactum personale quo sensu pro fit successoribus singularibus. Expositio d. l. 17. §. 5.
30. Resolutio l. 3. §. 3. ff. de lib. leg.
31. Expositio. d. l. 3. §. 4. & seqq.
32. Casus, quo debitor liberatur ex testamento contra voluntatem defuncti. Id ex necessitate, nec ex apicibus juris esse.
33. Res judicata & jusjur. correi an correis pro fit? ubi de differentia exceptionum, qua debitum. & que solam personae obligationem elidunt.
34. An depositio solennis, & interitus correis rei noceat.
35. Correo non potest compensare, quod correo debetur; fidejussor, quod reo debetur, potest, & cur?
36. Excipitur, si correo correi debitor sit, & resolvitur l. 10. ff. de Duob. reis.
37. Confusione correo liberato, reliqui non liberantur.
38. Confusio fit vel inter corream & illum cum quo ei lis est; vel inter duos correos. Quid uterque casus differat.
39. Inter fidejussorem & reum sequior obligatio confunditur. Asferitur l. 95. §. 3. de Solut. contra Cujac.
40. Sequior obligatio qua fit. Restituitur textus d. l. 95. §. 1. & 2. in Florentina corruptus.
41. An solutio univel ab uno facta, reliqui contra eum agere, vel ab eo conveniri possint?
42. Varia Dd. sententia.
43. Vera probatur; Ei & contra eum dari regressum ad quem causa pertinet.
44. Reliquis correis invicem nunquam dari regressum docetur.
45. Idem porro probatur.
46. In eam sententiam quinam collineaverint.
47. Quibus correis exceptio nonnum. pec. detur.
48. Quatenus & in cuius bonis sit corream obligatio.
49. De remediis corream.
50. Unius correi debendi interpellatio nocet reliquis.
51. Mora correi correo non nocet ratione usurarum & fructuum.
52. An ratione periculi? Neg.
53. Correis usu competit beneficium divisionis, nisi ei renunciaverint.
54. An correo accepta ab uno portione virili videatur renunciasset juri solidi? Neg. & defenditur sententia Facul. Jur. Viadr. contra Pruckmannum.
55. Resolvitur l. 18. C. de Pact.
56. Exceptio traditur.
57. Si in uno correo jus solidi remissum, in reliquis quoque remissum indubio intelligitur.
58. De fidejussoribus mutuis &c. remissive.

I. N. D.



I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
CAUTIONE CORREALI.

§. I.

Bono Viro nullum fortius ad fidem præstandam vinculum est, quam fides: Sed hunc humanæ societatis nervum non laxavit, sed rupit & ferè in risus ac ludibria vertit depravatio morum ac temporum. Morbo igitur huic publico quærendum remedium, & sanctioris religionis frenum conscientis hominum profanorum injiciendum fuit; unde cautionis loco juramenta, quin execrationes quoq; exquisitis formulis adhiberi solent.

§. 2. Neq; tamen omnis cautio & securitas contra perfidiam, uti de jurationum formulæ; sed quædam etiam contra metum, ne bonis debitor labatur; vel contra ipsam incertitudinem nominis, quæ sita inventaque fuit. Huic optimum remedium est stipulatio, quâ omnis disputandi occasio amputari atque evitari potest, si creditor, cujus est formulam stipulationis concipere, *l. 99. pr. ff. de Verb. Oblig.* quicquid dubii esse poterat, verbis perspicuis stipulationi inseruerit: Cùm enim nihil in eâ valeat nisi quod verbis expressum est, constat nullum dubium remanere posse, si verba saltem sint perspicua; qualia si creditor non adhibue-

A2

rit,

rit, habet quod sibi imputet. *d. l. 99. pr. l. 38. §. 17. ff. de verb. Obl.* Omnis itaque stipulatio suâ naturâ cautionalis, & hoc eâ agi dicitur, ut quis securior & cautior sit: *in l. 1. §. 4. ff. de Stipulat. Prætor.* unde & nomen habet, cum à *stipulô*, quod est firmum, dicatur: *pr. Inst. de Verb. Obl.* estque hæc ipsa cautionis species, quæ re-promissoria vocatur. *l. 7. princ. l. 11. §. pass. ff. de Damn. infect.* Quo effectu cautionis, & quòd stipulatio actionem ipso jure tollat, hodieq; illa à nudo pacto differt, ac plurimi alii insignes inde effectus fluunt, quibus pacta & stipulationes adhuc distingvuntur, uti pluribus demonstravit Dn. Præs. in *Disput. de Usu & Differ. hodiernâ Pact. & Stip.*

§. 3. Superest, ut securitas adhuc Creditori paretur contra eventum inopiæ debitoris; id enim in primis ipsi metuendum est, ne debitor bonis labatur, totaque actio, etsi certa, tamen inanis fiat. Contra hunc metum, maximum (præter pignora, de quibus hic non agimus) præsidium est, ut Creditor, præter debitorem principalem, alios & plures debitores idoneos sibi constitui curet; quia, si non unus, tamen vel alter, vel saltem omnes simul solvendo erunt: unde dicitur *interesse creditoris, plures reos habere. l. 3. in fin. ff. de liber. leg.*

§. 4. Illi autem debitores, qui cautionis & securitatis causâ aggregantur debitori vero ac principali, vel obligantur ut accessiones ipsius, nempe fidejussores aut pecuniæ constitutæ rei; vel ut debitores æquæ principales, qui dicuntur Correi. Hæc, cæteris paribus, est omnium optima & plenissima cautio, cum plures debitores idonei ita constituuntur, ut singuli in solidum & ut æquæ principales ex stipulatu teneantur.

§. 5. Di-

DE CAUTIONE CORREALI.

3

§. 5. Dicuntur autem Rei non tantum debito-
res, sed & creditores: unde alii correati credendi, scil.
plures creditores in solidum (de quibus nunc parcius
agemus, rariorq; eorum usus est) alii correati deben-
di, seu plures debitores. *rubr. & princ. Inst. de duob. reis
stip. & promitt. l. 1. l. 2. l. 14. l. 15. l. 16. ff. eod. l. 5. pr. in vers.
Conventionales & c. ff. de Verb. Obl. ubi conventiones reorum
dicuntur, i. e. partium paciscentium.* Reus enim à re di-
citur quæ utrinq; agitur; uti apud Cicer. *lib. 2. de Orat.
n. 185.* Reos appello non eos modò qui arguuntur, sed omnes
de quorum re disceptatur. Res autem litem significat,
ut in *l. 8. §. 1. ff. de inoff. test. in verbis: post rem (id est, li-
tem) inofficiosi ordinatam.* Item apud Plin. *lib. 9. Ep. 25.*
Rerum actus, i. e. litium. Et ita quoq; disertè Ausonius
in *Monosyllab.*

Imperium, litem, Venerem cur una notat res?

Inde dicitur nihil rei alteri cum altero esse, seu nulla
lis; atque ita Rei, inter quos res vel lis est, cum actor
tum Reus conventus, quæ vox ideò adjici solet.

§. 6. Fiunt autem Correati debendi, quoties id spe-
cialiter agitur ut plures idem in solidum & pari jure
debeant, isquè animus satis apparet, *arg. l. 11. §. 1. &
2. ff. de duob. reis.* quod ipsum etiam novo jure cau-
tum est. *in auth. Hoc ita. C. de duob. reis. Nov. 99. c. 1.*
Unde frustra ferè quæri videtur, an olim vel hodie
expresfa verba ad Correatorum constitutionem neces-
saria fuerint; id enim tantum requiritur, ut de ani-
mo correatos constituendi specificè actum sit, *d. ll. quod
ipsum in stipulatione quidem verbis ore prolatis,
l. 1. pr. l. 74. §. 1. ff. de Verb. obl. in cæteris verò contra-
ctib9, eodem modo uti alia placita, justis pactis appa-
ret. vid. l. 15. ff. const. pec. l. 4. ff. de fid. instrum. l. 2. §. 1. de O.*

A 3

& A



§ A. neq; constans hæc contrahentium mentem co-
 gnoscendi ratio ullibi hæc in parte mutata reperitur:
 Hactenus ergo Correi tum in quocunque contractu
 tum & in testamento fieri possunt *l. 9. pr. ff. de duob. reis.*
l. 16. de Leg. 2. Quin imò sententiâ quoque Judicis correi
 efficiuntur, quoties id in eâ adjectum apparet. *l. 1.*
C. si plur. una sent. Huc verò non pertinent ii, qui non
 cautionis causâ, sed vel ex rei natura, ut in obligatione
 quæ in facto consistit, *l. 5. §. f. ff. Commodati* vel juris a-
 liquâ necessitate tantum solidum debent. vid. *l. 11. §. 2.*
ff. ad L. Aquil. Quando autem per stipulationem cor-
 rei fiunt, (quo modo gemina cautio concurrit. *sup. §.*
2. & 3.) requiritur ut post creditoris rogationem seu
 stipulationem singuli correi separatim ipsi respon-
 deant: quæ satis nota sunt ex *princ. Inst. de duob. reis.*
 Non satis verò ab aliis distinguuntur voce Selbst-
 schuldner / nam & fidejussores ita dici possunt, sed
 voce Haupt-Schuldner / vel, quod tutius, ipso nomi-
 ne correorum expresso. Deniq; correorum par est
 conditio: unde si disparitas temporaria est, interim;
 si perpetua, semper obstat ne sint correi. *l. 9. §. 1. & 2. ff.*
de Duob. reis.

§. 7. Usus idem est ut in stipulatione & fidejus-
 sione, scil. si in instrumento, in quo omnes nomina-
 ti vel subscripti sunt, expressum sit, eos omnes ut
 correos debendi, ac singulos in solidum promisisse,
 omnia intelliguntur ritè acta donec vitium appareat.
l. 30. ff. de Verb. Obl. & sim. hæc ferè formula: *Wier-*
endts benandte (vel potius cujusque Correi nomi-
 ne expresso) *geloben ein jeder in solidum, als Haupt-*
schuldner oder Correi, dieses alles stet / vest und un-
verbrüchlich zu halten &c. Addi vulgò solet, *samt und*
sonders /

DE CAUTIONE CORREALI.

5

sonders/ einer für alle und alle für einen/unzertheilt/2c.
Sed hæ formulæ inferunt tantum obligationem in solidum, quæ fidejussoribus quoq; communis est.

§. 8. Ad indagandam autem veram Correorum indolem, observandum est, I. Cum Correalis obligatio quædam cautio sit, requiri causam cui accedat: non enim cautio intelligi potest sine causa vel debito, pro quo cavetur; nec debiti securitas concipi, si nulum debitum sit. Igitur, si Correi ex stipulatione promiserint, nec tamen causa vel debitum sit propter quod se soluturos promiserint, creditor ipso jure quidem ex stipulatu agere potest, sed repellitur exceptione perpetuâ doli mali; idq; præclare exponitur in l. 2. §. 3. ff. dol. mal. except. ubi ex stipulatione (quæ cautio est, sup. §. 2.) agens, cum vel causa non sit, vel quæ fuit defierit, etsi stipulatio ipso jure subsistat, doli tamen exceptione summovetur. Idem usu venit in cautione chirographaria; si quis enim literis confessus se accepisse rem vel pecuniam, promittit eam se restitutum esse, ex promisso vel chirographo suo obligatur quidem ipso jure, sed creditor ex chirographo agens repellitur exceptione doli, quæ specialiter dicitur non numeratæ pecuniæ. tot. tit. Inst. de lit. obl. tot. tit. C. de non. muner. pec. Necessariò itaq; tota Correalis cautio & obligatio quoq;, etsi ipso jure subsistat, deficiente tamen causa debiti infirmatur oppositâ exceptione doli.

§. 9. Neque verò necesse est, ut causa illa seu debitum commune sit correorum, sed vel unius id esse potest, pro quo omnes correi obligantur, cum pro alterius quoque debito obligatus quis esse possit. Ita si Sempronio dederis pecuniam mutuam, & tum
idem



idem Sempronius tum Cajus & Sejus singuli in solidum & ut Correi ex stipulatu promiserint, se pecuniam restitutos esse, duo distincti contractus sunt, alter mutui, cum solo Sempronio initus; alter stipulationis, cū Sempronio, Cajo & Sejo, qui omnes pro mutuo ut Correi cavent: Ex stipulatu omnes & singuli in solidum æqualiter tenentur & conveniri possunt: ex mutuo solus Sempronius. Hic pro eâ pecunia cavet quam ipse mutuam accepit, uti ipsi debitores contractibus suis stipulationem adjicere, atque per eam cavere possunt, velut *in l. 40. pr. ff. de Reb. Cred.* reliqui verò pro eadem pecunia, quam Sempronius accepit, promittunt ut Correi principales.

§. 10. Etsi igitur ratione stipulationis omnes sint rei debendi æque principales, tamen ratione mutui solus Sempronius est debitor. Quin, etsi stipulatio in continenti addita sit, habetur quidem totum negotium pro uno contractu stipulationis, ex quo omnes tenentur æqualiter, nec seorsim ex mutuo agi potest; *l. 6. l. 7. ff. de Novat.* at causa tamen stipulationis (sine qua illa subsistere nequit *sup. §. 8.*) sc. numeratio pecuniæ, diversa est ab ipsa stipulatione, & propria Sempronio, cui soli facta est. Hinc rectè dici potest, negotium numerationis esse solius Sempronii & hætenus principale, etsi ratione stipulationis correi nihil differant, sed omnes sint æque principales. Ex quo fonte plures controversiæ aliàs inextricabiles facilè diluuntur.

§. 11. Observandum quoq; est II. In correali negotio plures quidem esse obligationes personales, sed unum duntaxat debitum: cum enim unusquisq; correi in solidum sit obligatus, necessariò tot sunt obligationes personales, quot personæ; *l. 9. §. ff. de duob. reis.* adeoq; unâ

unâ sublatâ reliquæ manent; At unum tantum debitum est pecuniæ numeratæ, tam mutui quam stipulationis. *l. 9. pr. ff. de Pact.* Idem enim debitum, quod in mutuo est, etiam in stipulationem deductum, atque adeo unum idemq; utriusq; negotii debitum est. Unde sequitur, debitô legitimis modis extinctô, omnes correos ex utrâq; causâ liberatos esse, cum repugnet, personam obligatam esse & debitum non esse: inde enim si species debita casu interierit, debitorem hóc rei interitu liberari necesse est. *l. 83. S. pen. ff. de verb. obl. l. 92. pr. de solut. Sc.* Atque hoc sensu dicitur una tantum obligatio esse in *l. 3. ff. de duob. reis.* non ratione personarum, cum singulis inhæreat obligatio in solidum, sed ratione rei quæ in obligationem venit; ut patet ex *d. S. fin. in verb: una & summa est. l. 9. S. f. eod. l. 21. S. pen. ff. de Fidejuss.*

§. 12. Hinc patet correos neque copulativè promittere, neque alternativè v. g: non promittunt copulativè, *Sempronium & Sejum & Cajum soluturos*; ita enim commune fieret debitum & quisque pro virili tantum parte obligatus. *l. 11. S. fin. ff. de duob. reis.* Neque alternativè; *Sempronium aut Sejum aut Cajum, Sc.* quia ex alterius promissione alii non obligarentur. *S. 3. Inst. de inutil. stipul.* Sed quisque suo nomine promittit, quod tum effectum alternativæ ideò habet, quia unum tantum debitum est, quò ab uno saltem solutô nihil amplius debetur, adeoque reliqui necessariò liberantur. Effectu itaque id agitur obligatis in *decem* duobus correis, non ut quisque 10. adeoq; 20. solvant, sed ut alteruter 10. vel uterque unam hanc summam. *l. 16. ff. de Leg. 2. l. 11. S. 1. de Legat. 1.*

§. 13. Sed & illud observandum est III. Si correi inter se quoque societatem inierint, eoq; correi focii
 B sint,

sint, iterum duo diversa negotia concurrere, societatem & obligationem correalem ex stipulatione. Unde adhuc singuli ex stipulatu in solidum quidem obligantur, unus tamen quicquid solvit, damni que sine culpâ suâ patitur, actione pro socio repetit. Quô fit ut jura correorum & stipulationis cujusq; in solidum sint, sed ex causâ societatis communicentur. *l. 62. pr. ff. ad L. Falcid. l. 3. §. 3. ff. de Liber leg.*

§. 14. In primis autem & quàm maximè cavendum est ab eo, quod D. Lauterbachius, accuratissimus alioquin Jctus, *ad tit. ff. de duob. reis. pag. 631.* asserit, intelligi correos socios, qui sunt correi debendi vel credendi ex causâ onerosâ. Nam onus sæpe, quin plerumque, tantùm in personâ unius correi est, adeoq; tum non possunt ratione oneris socii videri. Quin & cum onus commune est omnium, non ideò repetitio datur quia socii, sed quia is qui exigit vel solvit, respectu causæ ac debiti principalis, aliorum negotium gerit, *juxta §. 9. supr. quod infr. plenius explicabitur.* Neque DD. qui hîc distinguunt inter causam onerosam & lucrativam, ex illâ correos socios fieri contendunt, sed è contrariô hunc casum ab eô quô socii sunt expressè separant, & non nisi regressum contra correos ex causâ onerosâ concedi asserunt. Gomez. *Var. Resol. tom. 2. cap. 12. n. 3.* Perez. *C. de Duob. reis. n. 15.* Cujus tamen rei decisio non ab illa distinctione, sed ab eo fonte petenda est, in quem digitum jam intendimus *sup. d. §. 9. conf. infr. §. 43.*

§. 15. Cum igitur quisque Correorum debendi in solidum teneatur perinde ac si solus esset, non tantùm conveniri & solvere potest, sed & novatione & acceptilatione suâ, æquè ac solutione, omnes Correos li-

DE CAUTIONE CORREALI.

os liberare: *l. 31. §. 1. ff. de Novat.* quia his modis debitum ipsum extinguitur, quo sublato nulla obligatio personalis remanere potest, *supr. §. 11.*

§. 16. Nec movet *l. 25. ff. d. t.* ubi novationem solutioni similem esse negatur. Nam à parte debitoris, quoad effectum tollendæ obligationis planè comparantur, & utrâq: perinde debitum ipso jure tollitur ac debitor liberatur, sive solverit sive novaverit. *§. 3. Inst. quib. mod. toll. obl.* Sed à parte creditoris interest, nec semper is, cui solvi potest, etiam acceptum ferre & novare potest: uti adjecto solutioni rectè solvitur, qui tamen nec novare, nec acceptum facere, quin nec petere potest. *l. 10. ff. d. solut. & ita in casu d. l. 25.*

§. 17. Equidem *d. l. 25.* adversari videtur *l. 10 ff. de Novat.* ubi is, cui solvi potest, etiam novare posse dicitur, exceptò solutioni adjectò: Nam hoc ipsum est, quod dicitur in *d. l. 25.* non posse novari, etsi NB. interdum possit solvi, uti in singulari casu adjecti solutioni; & sic in alio exemplo *d. l. 25.* quod filiosam, vel servo promissum est, ipsis interdum solvi potest, uti si in rem patris vel domini versum sit. *arg. l. 95. §. 7. ff. de solut.* inde ergo non sequitur novari quoque posse, quod fieret in præjudicium domini vel patris, cui nec aliud pro alio solvi, nec jus quæsitum auferri potest.

§. 18. Verum itaque est, quod quis faciliùs solutionem accipere possit quàm novare, & faciliùs novare quàm acceptum ferre; totumque pendet à finibus mandati. Solutionem equidem accipere est pars mandatæ administrationis, unde procuratori quoq; rectè solvitur. *l. 11. ff. de pact.* Nec novatio semper termi-



nos administrationis excedit, quia alia obligatio substituitur; sed adjecto solutioni non competit, quia sola solutio, non administratio ei commissa est; unde ille excipitur in *d. l. 10. ff. de Novat.* & alius casus in *d. l. 25.* ob causam jam memoratam: item alius in *l. 27. pr. ff. de pact. de quo infr. §. 22.* Acceptilatio autem, quæ remittitur & donatur debitum, non continetur sub administratione, adeoque procuratori non competit. *arg. l. 1. §. 1. ff. de Offic. Proc.* Atque ita disparitas tantum est in facultate ejus cui solvitur, non in effectu tollendæ obligationis, quæ solutione, novatione & acceptilatione perinde extinguitur, omnesque correi liberantur: Quemadmodum è contrariò omnes correi credendi nomen amittunt, si unus acceperit, novaverit vel acceptum tulerit: *l. 2. ff. de duob. reis l. 31. §. 1. ff. de Novat.* quin si unus saltem agere cœperit, reliquis solvi nequid *l. 16. de duob. reis.*

§. 19. Longè secus est, cum non debitum ipso jure tollitur, sed sola obligatio personalis eliditur per exceptiones; uti si correat pactus sit de non petendo, vel pacto transegerit; nihilominus enim reliqui tenentur, quia nemo alteri pacisci potest, nisi suâ interfit ab altero non peti; *l. 38. §. 17. §. 20 ff. de Verb. obl. l. 23. ff. de pact.* correat autem paciscentis nihil interest à correat non peti, cum correat, qui solvit, regressum contra correat non habeat. *d. l. 23.* Eademque ratione nec fidejussoris pactum proderit reo, quia reus solutum non repetit à fidejussore, adeoque hujus nihil interest à reo non peti, *d. l. 23.* nisi in rem suam fidejusserit, v. gr. pars ipsa pro suo procuratore in judicio. *l. 24. ff. eod. arg. §. 4. Inst. de Statisdat.*

§. 20. At contrâ, fidejussoribus prodest pactum
rei

rei, quia rei interest ne à fidejussoribus, qui regressum aliàs actione mandati habituri sunt, petatur *d. l. 23.* unde, cessante regressu, nec ipsis proderit pactum rei, uti si donandi animo fidejusserint, aut mandati actioni renunciaverint. *l. 32. ff. de pact.* Quin, etsi pactum correi correo, & fidejussoris Reo non profit, tamen si hoc actum est, ne à correo, vel ne à reo quoq; petatur, his doli exceptio datur: *l. 25. §. fin. ff. l. 26. l. 10. §. fin. ff. eod.* Etsi enim hi ex alterius pacto excipere contra actorem non possint, ex ipsius tamen actoris dolo possunt: dolo enim facit, qui contra proprium factum venit. *l. 2. §. 4. ff. de Dol. mal. except.* Quò ratione, etsi pactum tutoris, procuratoris, &c. non profit dominis, doli tamen exceptio his datur. *l. 10. §. fin. & ll. seqq. ff. de Pact.*

§. 21. Anne ergo effectu idem est, ipso jure extinctum sit debitum, an pacto actio elisa; cum reapse utrumque æquè correo & Reo quoque profit & in subsidium pacti detur exceptio doli? *d. l. 10. §. f. de Pact.* Minimè verò, sed plurimum interest; debito enim ipso jure extincto, necessariò etiam correat & reus principalis liberati sunt: *l. 43. ff. de Solut.* exceptione verò oppositâ tum demum, si specialiter hoc actum fuerit, ut à reo vel correo quoque non petatur. *d. l. 26.* Deinde, debitò ipsò jure extinctò, omnes omnino effectus debiti extincti sunt; at exceptione actio in personam sola tollitur; reliqui effectus (qui plurimi sunt, *dict. Disp. Dn. Præsid. de Usu & differ. hod. pact. & stip.*) durant, adeò, ut illæ actiones quoque cedi possint. *l. 28. ff. Mandat.* Idem est si unus correat exceptione doli, metus, &c. repellere actorem possit, reliqui enim non possunt.

§. 22. Si verò correi focii sint, vel debitum iis commune, non est dubium, quin unius pactum reliquis profit, quia illi conventi regressum haberent actione pro socio, vel communi dividendo contra paciscentem, cujus proinde maximè interest. *l. 9. §. pen. ff. de Duob. reis. l. 25. princ. ff. de pact. l. 34. ff. de Rec. arbitr. & de eo casu est. l. 2. C. de duob. reis. argum. voc. communi:* His consequens est à parte correorum credendi, quòd eorum pactum, ne petant, non noceat correis quò minus illi petere possint: nec interest, focii sint nec ne, cum nemo alteri nocere queat. *l. 27. pr. ff. de Pact. Verùm, si debitum factò unius correi ipso jure extinctum sit, planè id cæteris nocet, cum quilibet perinde de nomine illo disponere possit ac si solus esset. l. 31. §. 1. ff. de Novat.* Si vero correi focii sint, factum quidem correi iis effectum non nocet, quia actione saltem pro socio indemnes præstantur; sed an factum ipso jure nullum sit in ambiguo est: & quidem, si correo socio solutum sit, valet, quia ejus pars sociis actione pro socio salva est; at novare vel acceptum ferre nequit, quia communia sociorum jura quoq; auferret. *l. 27. pr. ff. de Pact. quem textum de sociis agere, tum ex principio ejus, tum ex rationibus textus apparet.*

§. 23. Id constat, quòd omne factum defuncti correi ipsius hæredi & profit & noceat, cum hic illius personam activè & passivè repræsentet. *l. 33. ff. de Pact.* Si verò pactum personale sit, (*v. l. 7. §. 8. l. 57. §. 1. ff. eod.*) nemini, & nec hæredi quidem prodest: *l. 17. §. 3. l. 21. pr. l. 25. §. 1. ff. eod. l. 3. §. 3. ff. de liber. leg.* licèt enim hæres non videatur obligatus esse posse, si defunctus non fuit; tamen obligatio cæpit & substitit in defuncto, nec tam per pactum personale ullâ par-

lâ parte tollitur, quàm sola paciscentis persona inde
eximitur. *arg. l. fin. ff. de duob. reis.*

§. 24. Potest verò, uti alii rei, ita & correus heredi
quoq; suo personaliter pacisci, ita ut illi uni, non aliis he-
redibus profit. *l. 33. ff. de Pact.* Sed hæcenus tantùm
id valet, ut uni heredum pro ratâ hereditaria saltem
consultũ sit, non etiam ut pars illa reliquis heredibus
inungi, & ab iis solidum peti possit; uti factum in
casu *l. 56. §. 1. ff. de Verb. Obl.* Tale enim pactum vitio-
sum est, tum quia repugnat Lex XII. Tabb. quæ action-
nes inter heredes ipso jure dividit, ut nemo tenea-
tur nisi pro ratâ hereditariâ: tum quia heres non
repræsentat defunctum nisi pro parte, quia heres est.
Itaq; illa pars heredis, cui consultum est pacto per-
sonali, à nullò heredum peti potest: non ab eo qui pa-
cto continetur, ob pactum; nec à reliquis, quia non
possunt conveniri nisi pro parte hæreditariâ, contra
ac in pacto *d. l. 56. §. 1.* qui textus proinde non obstat.

§. 35. Heredi quoque pacto tali non consulitur,
si correus correo pactus est, qui deinde heres ejus
existit; quoniam enim ab initio hoc pactum non va-
luit, cum nemo correo suo pacisci possit, *supr. §. 19. &*
seqq. certum est, quod ab initio nullum fuit, ex post
facto non convalescere; qui manifestè est casus *l. 17.*
§. 4. ff. de Pact. Initio enim proponitur pactum, *ne à me,*
neve à Titio petatur; Ego ergo & Titius fuimus duo
rei, quia aliàs non potuisset in Titium concipi pa-
ctum de non petendo, nisi reus seu debitor fuisset;
quod enim non est, peti nequit; sed & inde id con-
stat, quia expressè prædicta ratio allegatur; *etiamsi*
Titius heres extiterit, non posse ex post facto id confirma-
ri: Ergo initio non in herede sed in altero debito-
re,

re seu correo conceptum fuit pactum, adeoque invalidum, quia alteri debitori seu correo pacisci non possumus: si enim initio ut heredi meo pactus fuisssem, & statim valuisset & frustra quæsitum esset de confirmatione ex post facto. Hoc igitur cum certum sit, & dubitari nequeat de priore membro *d. §. 4.* nec poterit de altero casu filiae negari, quia ex priore alter inferitur; imò ipsa decisio Juliani, quam Paulus allegat *in d. §. 4.* non fuit concepta de Titio, sed de filia; & quod Julianus de filia dixerat, hoc Paulus *in d. §. 4.* applicuit ad casum Titii correi; eademque penitus ratio utrumque casum planè æquiparat.

§. 26. Equidem D. Brunnemannus tum *in d. l. 17. §. 4. n. 6.* tum *in l. 21. n. 3. ff. de pact.* ait, rationem decisionis esse, quòd pactum sit personale; & pro perpetuo suo in id, quòd æquius est, studio veretur, ne nimia hæc subtilitas sit, & in foro non attendenda; additque in foro hoc pactum pro personali non haberi, sed dari filiae exceptionem vel pacti, vel saltem doli. Primum quidem exosculamur hanc sententiam prudentissimi Viri, dari filiae exceptionem saltem doli, *juxta §. 20. supr.* quòd proinde non ab usu forensi, sed ab ipso Jure communi petendum. Ita enim comparatum est jus nostrum, ut, si quid longius ab æquitate recedat, non tamen deficient eodem jure æqui bonique remedia. Itaque exceptio doli in hunc casum jam expresse succenturiata fuit *in l. 10. §. fin. l. 25. §. fin. l. 26. de pact.* Rationem verò *d. §. 4.* non esse, quòd pactum personale ibi sit, sed quòd correo pacisci nemo possit, etsi sit pactum reale, ostensum est *supr. in §. 25.*

§. 27. Quòd autem porrò tradit, tum *in d. l. 17. n. 6.* tum *in l. 21. §. 3. ff. eod.* nimiam subtilitatem hanc esse, nec

nec pactum *ne à filiâ vel filio petatur*, in forô haberi pro personali, sed etiam filiæ, & mortuô quoq; filio patri dandam exceptionem pacti vel doli; concederem id quoque, si mens legum esset, ut expresso nudo nomine filii vel filiæ pactum illicò pro personali haberetur. At, cum expressè constitutum sit, non ex verbis sed ex mente paciscentium id æstimandum esse, imò in dubiô reale videri, *per. l. 7. §. 8. ff. de Pact.* adeoq; supponi in *d. l. 17. §. 4.* hanc certam & indubiam esse mentem patris, ut sola filiæ persona exempta esset, & in *d. l. 21. princ.* eam mentem filii, ut tantum à se non peteretur, ab aliis autem peti posset; pace Beati Viri & Cti optime meriti, salvôq; omnium judiciô, existimamus, non videri subtile vel iniquum, ut pacta intelligantur ex certâ & indubiâ mente paciscentium; quin ne posse quidem aliter salvâ justitiâ accipi, nec contra expressam voluntatem contrahentium, qui pacta sua ad certam personam restricta volunt, ea ad alias personas extendi.

§. 28. Quoniam igitur, ut ostendimus *supr. §. 25.* in specie *d. l. 17. §. 4.* debitor sibi & correo suo, sive Titio sive filiæ, pactus est, adeoq; mens ac sententia paciscentium fuit, ut à Titio seu filiâ quoque non peteretur, cessante exceptione pacti, quod non valuit, dabitur tamen omnino exceptio doli, si actor contra pactum suum, & fidem alteri datam petere à Titio vel filia velit. *per tradita supr. §. 25.* Ex adversô verò, cum in specie *d. l. 21. pr.* contraria sit mens paciscentium, qui pacti sunt, ut tantum à filio non petatur, adeoq; ut eô mortuô salva sit creditori actio, non potest post mortem filii actio creditori denegari, quæ utriusq; patris expresso consensu ipsi reservata est,

C

nec

nec succesores, contra hanc paciscentium expressam sententiam, exceptione pacti vel doli uti; sed contra, dolo facerent, si contra mentem defuncti exciperent. *l. 2. §. 4. ff. de Dol. mal. except. l. 1. §. 1. ff. de Except. Rei vend.* Ut proinde hoc jus, quod naturæ est, mutatum in forò, nedum iniquum, videri nequeat.

§. 29. Remanet difficultas an pactum personale profit succesoribus singularibus: etsi enim ea paulò hinc alienior & generalior videtur, tamen & cohæret cum iis quæ tractata jam sunt, & in correis quoque accidere potest. Dicimus igitur prodesse. *per. d. l. 17. §. 5. ff. de Pactis.* Sed quam speciem *d. §. 5.* formabimus? Nam in personam debitoris & ejus succesorum quæstio concipi nequit: si enim tu fundum v. gr. ex stipulatu debes Titio, & cum eo in personam pacisceris, *ut à te tantum non petatur*, deinde vendis Sejo, actio ex stipulatu nunquam contra Sejum possesorem competet, sed tantum contra te, & te mortuo contra heredes tuos: quia actiones personales contra heredes, non contra succesores singulares dari constat. Igitur ponendum est, vel Titium fuisse dominum, teq; ei debere, v. gr. ex conducto, pignore, &c. & post pactum, *ne à Te peteretur*, Te vendidisse Sejo; tunc enim verum est, prodesse hoc pactum Sejo tantum quoad tu vixeris: *Treutler. Vol. 1. Disp. 6. th. 4. lit. c. & DD. comm.* Vel, si Titius tantum ex stipulatu v. g. creditor fuit, ita formanda erit species, ut Titius, postquam pactus est à *Te non peti*, actionem suam vendiderit & ceserit Sejo: & tum pactum non Sejo, sed in Sejum emtorem valere, ita ut tu exceptione pacti, ex tuâ parte in personam concepti, in Sejum quoq; uti queas, quoad vixeris

vixeris; quod verba finalia *d. §. 5. ibi: in emptorem valet;* videntur innuere.

§. 30. Ex jam traditis planus quoq; fiet textus difficilis *in l. 3. §. 3. vers. sed etsi. ff. de Liber. leg. ubi,* cum testator, qui duos reos debendi habuit, unum solum liberatum vellet, hoc modo: *ab eo solo non peti: certum quidem est, id alteri correo non prodesse: sed quæritur, quò remedio sibi correatarius confulere possit, ne plus petat, atq; ita legato excidat.* Et distinguitur inter correos simplices & eos qui socii sunt. Si merus correatarius est, tantum petere potest, ut pacto personali, *à se non peti,* non ut acceptilatione liberetur; quia per hanc, sublatò totò debitò, etiam correatarius necessariò liberabitur, & sic plus causâ petetur. Si verò correatarius socius sit, non potest petere ut pacto reali liberetur, hòc modò; *non peti,* id est, à nemine peti: ita enim non modò peteret ut ipse, sed & ut correatarius & omnes rei liberarentur, & sic tum quoque plus causâ peteret: personali verò pacto liberari non sufficit; quia alter partem ejus quod solvit actione pro socio repeteret. Non potest igitur voluntas defuncti exitum habere & simul plus petitionis pena evitari, nisi acceptilatione: etsi enim per eam necessariò uterq; correatarius liberetur, non tamen legatarius plus causâ petit, etsi plus obtineatur: id enim non est à vitio petitionis, quia legatarius eò modò petit, quò solò petere potest, scil. se liberari per acceptilationem; sed à potestate legis, per quam acceptilatione, etsi in personam unius correatarii concepta sit, necessariò totum debitum extinguatur, & omnes liberantur. At si pacto reali liberari petat, vitium petitionis est, quia non modò petit se liberari, sed omnes, & à nemine peti.

§. 31. Hinc verò elegans dubitatio oritur, an uterq; correus socius pro legatariò habendus sit, quando uterq; acceptilatione liberatur, etsi testator uni soli liberationem legaverit? Quam verò perspicue solvit Ictus *in d. l. 3. §. 4. §. fin. & l. 5. ff. eod.* distinguendo an liberatio uni relicta sit contemplatione alterius quoq; correi, & tum utrumque pro legatario habendum esse docet, & congruò exemplò probat. *d. §. fin.* Igitur, si non fuerit relicte alterius quoque contemplatione, dicendum, hunc legatarium non esse, etsi & ipse liberatus acceptilatione fuerit.

§. 32. Equidem hæc prima fronte videtur nimia juris subtilitas, & nefas, ut correus socius, cujus contemplatione liberatio relicta non fuit, acceptilatione contra mentem Testatoris liberetur. An ergo hic correus socius saltem replicatione doli repelli potest, si excipiat, actionem heredi agenti non competere, sed ipso jure extinctam esse? *per l. 4. §. 10. ff. de Dol. mal. exc. Resp.* Hoc verò planè negandum, & expensis rationibus apparebit, id necessarii juris esse: Primùm enim, etsi verum sit, quòd hæres, qui contra voluntatem defuncti petit, exceptione doli removeri possit, *d. §. 10. tamen*, replicatio locum habere nequit, ubi prior actio ipso jure extincta est; *l. 27. §. 2. vers. sed si pactum. ff. de Pact.* sed, si verus dolus commissus est, de dolo ageretur, quod de hoc casu dici nequit; non enim heres allegare potest, se dolo deceptum esse in eo, quod ipse sciens & ultrò, quin lege ita requirente, egit, sed ipse potius contra proprium factum veniens dolo faceret: Omniù minimè verò correus ille dolò quid egisse videbitur, qui nihil planè egit, sed potestate juris liberatus est: Deniq;, quoniam ex societate jus quæsitum habet,

bet, alterutrum necesse est, vel ne ipse exigatur, vel, si exigatur, ut reperere partem à socio possit; hoc igitur cum repugnet voluntati testatoris, alterum necessarium est, scil. ut heres, qui voluntatem defuncti præstare debet, nec ab illo petat.

§. 33. Cùm igitur hætenus appareat, quantum interfit inter modos, quibus correi debitum ipso jure extinguitur, & eos, quibus sola personæ obligatio exceptione summovetur; sequitur jam, quò referendū sit, quando re judicate vel jurejur. correat liberatur. Equidem cùm his modis non finiatur ipso jure debitum, sed ope exceptionis, videtur sola personæ obligatio tolli: Verùm discernendæ sunt exceptiones quæ debitum ipsum, & quæ personam tantum debitoris afficiunt, nec proinde aliis prodesse, aut nocere possunt: Hæ sunt, quæ ex personæ pacto, delicto, vel defectu dantur: v g. pacti, metus, doli, S^Cti Vellejani, Macedoniani, & regulariter pleræq; exceptiones aliæ: Paucae sunt, quæ debitum ipsum afficiunt, uti, si non de personâ litigantis vel jurantis, sed de ipsò debitò principali ritè judicatum vel ex delatione juratum fuerit, non deberi: *l. 27. l. 28. §. 1. ff. de jurejur. etsi enim res judicata quoque aliis neque noceat neque proffit, tot. tit. C. quib. res judic. & tot. tit. C. inter al. act. vel jud. secus tamen est cum omnium idem debitum est, & legitimus defensor vel juravit vel litem suscepit; id enim omnibus prodest etiam correat, d. l. 28. §. 3. quin & ipsi reo principali d. l. 28. §. 1. De quâ differentia exceptionum, ejusque effectibus latè & accuratissimè egit Dn. Præses, in *Disput. de Jure Tertii: inde à §. 26. & specialiter in §. 42 & seqq.* Et cesfat hîc ratio in pactis allegata, quòd aliis nemo pacisci possit: correat enim*

hîc non liberantur ex pacto, sed ex autoritate rei judicatae & jurisjurandi, quæ à lege est, &, si de causâ ipsâ judicatum vel juratum tuit, universam debiti causam afficit.

§. 34. Depositio solennis pro verâ solutione est, idemque adeò est, solverit correus, an ritè ac solenniter deposuerit. *l. 19. inf. C. de usur. l. 9. C. de solut.* &c. In primis verò extinctâ re debitâ omnes correi liberantur, cum debito sublato personæ non possint amplius obligatæ videri: *supr. §. II. nisi facto unius correi perierit, id enim nocet reliquis ne casu hoc liberentur. l. pen. ff. de duob. reis.* At quali facto, vid. *inf. §.*

§. 35. Sed & compensatio pro solutione est, & debitum ipso jure tollit. *l. 4. ff. l. 4. C. de compens.* Si igitur correus conventus, quod sibi debetur, in compensationem offert, liberantur eò omnes correi, perinde ut solutione; & hætenus convenit correus cum fidejussore, qui ejus, quod sibi debetur, compensatione reum liberat. *l. 5. ff. de Compensat.* At eò differunt, quòd fidejussor conventus id quoque, quod reo debetur, in compensationem deducere possit, *d. l. 5.* correus verò conventus id quod correo debetur, non possit: *d. l. 10.* quod hanc rationem habet, quia, si reo principali vicissim debetur, ipso jure per compensationem extinctum jam est debitum principale. quò sublato, etiam accessoriam obligationem fidejussoris ipso jure extinctam esse, necesse est; *l. 43. de solut.* ideoque Fidejussor hoc casu non tam compensat, quàm allegat, reò per compensationem ipso jure jam liberato, se quoq; obligatum non esse; per *l. 4. ff. de compensat.* quæ ratio in correis cessat, qui omnes æquè sunt principales, nec unò liberato reliqui liberantur, nisi debitò soluto vel subla-

sublatō; quod non tollitur, si correus, quod alteri cor-
reo, non sibi, debetur, compensare velit; cūm com-
pensatio tantūm sit inter eos, quin invicem sunt debi-
tores & creditores. *l. 2. l. 12. ff. l. 4. C. eod.* Nec,
quod corree compensatione liberatus sit, alteri correo
ita prodest, uti fidejussori, tanquam accessioni, non po-
test non prodesse, quod reus sit liberatus, uti jam di-
ctum *sup. §. 19. 20.*

§. 36. Aliud tamen est, si correus tuus, cui vicissim
debetur, sit tuus quoq; , qui conveniris, debitor v. g.
ex societate; *d. l. 10. ff. de duob. reis.* si enim à Titio
Tu conveniaris, semper compensare poteris, quod
etsi non tibi, tamen debitori tuo Titius actor debet.
l. 9. ff. de compensat. Est enim hæc Jur. Gent regula, quod
debitoris tui debitor tuus sit debitor: *arg. l. 44. ff. de
condict. indeb.* & ideò, si correus corree conventi soci-
us sit, adeoq; partem ejus, quod sibi ab actore debetur,
ex societate correo convento debeat, hic illud actori
perinde ac sibi debitum compensare potest; unde pa-
tet textus obscurus in *d. l. 10.*

§. 37. Denique videndum, an confusione correa-
lis cautio liberetur? Etsi autem confusione debitum
ipso jure tollatur, non tamen pro solutione est, *per. l.
59. pr. ff. ad Sct. Treb. ibi: Verum enim est, non esse solutam
pecuniam: l. 30. in f. ff. de Exc. rei jud. ibi: Verum enim est,
satisfactum non esse.* Quia per eam debitum non ideò
tollitur, quod satisfactum sit, sed contrà, quod in per-
sonâ, in quam concurrat debitum & creditum, satis-
fieri non possit, cūm nemo sibi solvere, nemo à se pe-
tere possit: *l. 21. §. fin. ff. de Fidejussor.* unde efficitur, ex-
tra personam istam debiti effectus durare; quin &
si in aliam personam exactio fieri posse incipit, uti si
ex

ex SCto Treb. restituta sit hereditas, reviviscere actionem aditione confusam. *dd. ll.*

§. 38. Dupliciter autem, respectu correorum, confusio fieri potest; vel inter correum & partem adversam, vel inter duos correos: illud, si correus fiat heres partis adversæ, vel contrâ; hoc, si correi invicem. Priore casu à solo correo, in quo confusio facta, ejusq; fidejussoribus, &c. peti nequit, à reliquis potest; *per. S. præc. l. 71. pr. vers. sed cum duo. ff. de Fidejuss. adeoq; & ab eorum, si qui sint, fidejussoribus.* Altero casu, in correo herede utraq; actio concurrens, ita ut duæ obligationes in eundem correum concurrere, & vel suo vel hereditario nomine conveniri possit. *l. 93. pr. S. 1. S. 2. ff. de solut.* Nam pugnat quidem, in eandem personam debitum & creditum, non, duas obligationes concurrere: *l. 5. ff. de Fidejuss.* Neq; parum interest, quoniam altera actio integra esse potest, altera variis pactis aut defectibus imminuta. *Vid. d. l. 93. pr.* Sed unâ electâ altera tollitur. *d. l. 5.*

§. 39. Quod iterum secus est in fidejussore & reo, qui si invicem heredes fiunt, confusione tollitur alterutra actio, & quidem illa quæ sequior est, scilicet accessoria: *l. 5. l. 14. ff. de Fidejussor. l. 93. S. 2. S. 3. S. fin. ff. de Solut.* nisi principalis tantum sit naturalis obligatio, altera autem mixta & efficax; tum enim principalis sequior ac infirmior est, adeoq; consumitur ab accessoriâ. *l. 5. l. 21. S. 2. vers. Quod si l. 14. ff. de Fidejuss. l. 13. de duob. reis. l. 3. pr. de Separat. l. 95. S. 3. ff. de Solution.* ubi in versu: *Nam si reus duntaxat fuit obligatus, fidejussor liberabitur: pessimè & contra omnium Codicum fidem legit Cujac. lib. 11. Observ. 34. naturâ obligatus: nam si reus naturâ tantum obligatur, falsum est*

DE CAUTIONE CORREALI.

23

est fidejusforem liberari. *d. 11. § d. l. 95. §. 3. vers. econtra-*
rio. Obligatus ergo ibi accipitur qui efficaciter obligatus
 est. Atq; ita res plana est, etsi Cujacius jactet, omnibus
 qui conati sint explicare, infeliciter id cefsisse. Ei verò
 quod dictum est, tolli principalem obligationem, val-
 de adversari videtur, quòd accessoria non possit re-
 manere sublatâ & confusâ principali. *l. 129. §. 1. ff. de*
R. 7. Verùm jam expositum est, per confusionem non
 tolli totum debitum omnesq; ejus effectus, quod suf-
 ficit ut accessio sustineri possit.

§. 41. Cœterùm pro sequiore obligatione non
 est habenda, quæ nullâ exceptione perpetuâ elidi po-
 test nisi ex privilegio personali debitoris, uti si ille
 minor sit, & restitui solus queat. *l. 95. §. 3. ff. de Solut.*
 Observandum quoq; est, in *d. l. 93. §. 1. & 2. ff. eod.* ex
 Florentina editione (ex quâ hodiernæ plerumq; ca-
 stigatæ sunt) transpositam esse negationem: dicitur
 enim in *d. §. 1.* si duo correi invicem heredes sint, con-
 fundi obligationem, quam certum est non confun-
 di. *per §. præc.* Et è contrariò in *d. §. 2.* traditur, si reus
 fiat heres fidejussoris, non confundi obligationem,
 quam tamen confundi constat, ut modo dictum:
 quod *σφάλμα* Florentinæ ex ceteris editionibus corri-
 gendum est, quemadmodû & error Græcorum, qui u-
 trobique negationem tollunt. Cujac. *d. l. 11. Obs. 34. Do-*
nell. l. 16. Comm. 4. in fin. & in tractat. ad African. ad
l. 21. §. 1. ff. de fidejussor. Atque ex his quoque appa-
 ret, quantò plenior sit cautio correalis, quàm fi-
 dejusforia.

§. 42. Cùm itaque huc usq; latiùs expositum sit,
 quando unius correi factum reliquis profit vel noce-
 at, quæstio in foro quoque plurimum agitur, an,
 D quod

quod unus in solidum solvere coactus est, à reliquis repetere possit: aut, an, si unus solidum acceperit, vel obligationem factò suò sustulerit, reliquis ideò teneatur? Verùm illa planissimè deciditur ex distinctione *supr. §. 9.* traditâ, inter corream cautionem & ejus causam: Correi enim nullum unquam regressum invicem habent, sed omnis regressus est ratione ejus, ad quem causa principalis pertinet; ut in specie *d. §. 9.* exhibitâ: Sempronio mutuam pecuniam dedisti, & iste, ac Sejus, & Cajus, ut correi pro mutuò sponderunt, ut in specie *l. 4. C. de duob. reis.* Sejus vel cajus, si conveniuntur, regressum habent contra solum Sempronium, non inter se; Sempronius, si convenitur, nullum.

§. 43. Interpretes hîc in varias sententias abeunt. vid. Perez. *C. de duob. reis. n. 12.* Heig. *lib. 1. quest. 37. n. 1. & seqq.* in primis vulgò distinguunt inter causas onerosas & lucrativas, de quibus jam dictum est. *supr. §. 14.* Plurimi verò ex æquitate utilem actionem negotiorum gestorum tribuunt. Carpz. *Jurispr. for. p. 2. const. 17. def. 14.* Quod ipsum verò improbant Heig. *d. quest. 37. n. 6.* Faber. *Conject. lib. 11. cap. 6. & seqq.* & alii, qui negant, ullam actionem utilem aut subsidiariam inter Correas dari: quod & fatentur comm. DD. sed ex æquitate saltem officii judicis implorationem concedunt; & prædictus Faber. *C. de duob. reis. def. 1.* de jure nullo casu correis invicem remedium concedit; de usu fori & ex æquitate semper.

§. 44. Verùm nec ratio juris quicquam horum admittit; nec opus est fictis æquitatis remediis, sed omnia plana sunt ex sententia *supr. §. 9. & §. 42.* exposita. Dicimus igitur I. Quicquid unus correorum solvit,

solvit, à Sempronio correo, ad quem causa principalis, v. gr. mutuae pecuniae, pertinet, actione mandati vel negotiorum gestorum repeti posse, vel quod exegit, eidem restitui debere: hujus enim Sempronii est negotium principale, cujus causâ cautio correalis interposita est: si ergo correi reliqui in hoc negotium solvunt, sunt utiq; manifesti gestores negotii alieni, scil. Sempronii, adeoq; negotiorum gestorum actionem contrariam indubiè adversus Sempronium habent: uti &, si unus correorum credendi exigit quod Sempronius correo solus mutuum dedit, huic actio negot. gest. directa competet, neq; id dubium videri potest. Idem apparet ex *l. 2. C. de duob. reis.* ubi causa stipulationis correalis fuit pecunia communiter mutua accepta, *in verb: cum quò communiter mutuam pecuniam accepisti.* adeoq; negotium principale utrique correo est commune; invicem ergò habent actionem comm. divid. non ratione correalis obligationis, sed ratione causæ & ex negotiò principali, scil. ex communiōe: unde liquet quantopere hallucinetur Faber. *d. l. qui vocem communiter expunctam vult, in quâ tamen cardo dictionis vertitur.* *Add. l. 4. C. eod. l. 12. C. de Reb. Cred.* Atq; ita fidejussores quoq;, qui sunt verissimi correi inter se, si quid solverunt, à reò, cujus negotium est, repetunt, non verò ab invicem, nedum reus à fidejussoribus: non enim horum, sed rei negotium est.

§. 45. Dicimus II. Correos, Sejum & Cajum, quorum causa seu negotium principale non est, (scil. quia pecuniam mutuam non acceperunt vel dederunt, sed solus Sempronius,) invicem agere nullò modò posse, non magis quam fidejussores invicem possunt,

D 2

uti

uti modò dictum. Neq; verò dici possunt alter alterius negotium gerere, cùm constet negotium mutui esse solius Sempronii, adeòq; ex eo tantùm contra istum agere possunt; ratione stipulationis correalis autem, quislibet correus ex eâ solvens suum negotium gerit, cùm unusquisq; correorũ ex stipulatu sit ipse debitor principalis & in solidum. Neq; fingi potest, correum hætenus reliquorum negotium gerere, quia illi quoq; liberantur: nam & reus principalis solvendo liberat fidejussores suos, neq; tamen ille fidejussorum suorũ, sed suum negotium solvendo gerit: correus autem est reus principalis. Reliqui ergò correi liberantur ex necessitate juris & per consequens, non verò, quòd alterius correi solutio reliquorum negotium fuerit.

§. 46. Sed & post solutionem ab uno vel uni factam nihil planè ampliùs interest reliquorum correorum, qui pecuniam neq; dederunt, neq; acceperunt; quia illi tantùm cautionis ergò intervenere, quæ cessat debitò solutò, vel sublatò. Quin non possunt illi citra manifestam injuriam agere vel conveniri factâ ita solutione: nam nec agere vel repetere partem pecuniæ solutæ possunt, quia nullam dedere mutuan; nec repeti ab iis pecuniæ pars potest, quia nullam acceperunt mutuan.

§. 47. Atque huc sanè collineâsse videntur illi qui distinxere inter correos ex causâ lucrativâ & onerosâ, quia viderunt quandoq; correos aliquid accepisse vel dedisse. vid. D. Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 47. th. 28.* Sed nec quadrat huc illa distinctio, nec fontem rei aperit, sed rationē juris potiùs involvit. Quin, si ex venditione uni Sempronio factâ, adeòq; ex causâ onerosâ, plures correi fiant, regressus nemini datur nisi Sem-

Sempronio vel contra Sempronum: & si ex causâ lucratiuâ, v. gr. donationis, ipsi vel ab ipso aliquid promissum pluresq; ideo rei facti sint, adhuc ei soli & in eū regressus dabitur: adeoq; hoc discrimen omnino fallit, nec ex eō res intelligitur. Denique patet, neglectam esse veram distinctionem cautionis correalis ejusque causæ, ex eâ vero omnia sponte fluere ac intelligi.

§. 48. Ex prædictis etiam sequitur, si Sempronius mutuum pecuniam abs te petit, & cum Sejo ac Cajo, correis, se eam restitutum spondet, vel omnes chirographo ad id, ut correi, se obligant, quòd exceptio quidem non numeratæ pecuniæ omnibus detur, quia sine causâ tu petis: *arg. l. 2. §. 3. ff. de dol. mal. exc.* at, si Sempronio numerata est pecunia, reliquis exceptio illa non datur, etsi is nulla pecunia numerata fuerit; quia causa hæc non ad ipsos, sed ad Sempronium spectat, quæ est species *l. 4. C. de duob. reis.*

§. 49. Sed & illa quæstio facile hinc solvitur, quatenus obligatio correalis sit in bonis correi, si de viribus patrimonii, & imprimis de computatione Falcidiæ quærat. Nam, si correi socii adeoq; causa omnium communis est, obligatio pro cujusq; parte in bonis computanda, vel inde detrahenda est; si socii non sint, ab eventu res pendet, & expectatur, non tantum quis ex correali stipulatione egerit vel conventus fuerit, sed & quis ex regressu repetierit vel restituerit; reverâ enim in ejus demum bonis esse censebitur, qui ita agere potest, ut retineat. *l. 21. l. 49. junct. l. 71 princ. ff. de Verb. sign. quæ est sententia l. 62. pr. ff. ad L. Falcid.*

§. 50. Quibus actionibus conveniantur vel agant correi satis constat. Et quanquam, ut aliàs, electio in

in agendo actoris, in solvendo reorum sit; si tamen unus correorum iudicium instituit, alteri solvi amplius nequit. *l. 16. ff. de duob. reis.* cum quisq; correorum rem in solidum in iudicium deducere possit. *l. 27. pr. ff. de Pact.* & melior sit conditio occupantis. *l. 9. ff. de Verb. Obl. l. 19. de Re judic.* Neq; tamen uno electo alter liberatur. *l. 23. C. de Fidejussor. l. 52. §. fin. ff. eod. l. 8. §. 1. ff. de Leg. 1. l. 1. §. 43. ff. Depos. l. 116. ff. de Verb. Obl.* Nec officit *l. 51. §. fin. de Evid.* Ibi enim quæritur, an pluribus pro evictione in solidum obligatis, unius præstatione (non electione) reliqui liberentur? Et certum est, liberari. Aliud est in casu *l. 33. in fin. ff. de Legat. 1.*

§. 51. Verùm id quæritur, an sufficiat unius correi interpellatio ad interrumpendam in genere præscriptionem? Quod affirmandum est per *l. fin. C. de duob. reis.* quoniam omnium idem debitum est; quò ritè petitio non potest currere præscriptio: ritè autem omninò petitur ab eò, qui verus debitor in solidum est. Et cum præscriptio requirat continuum silentium, & unice contra negligentem currat, *l. 3. C. de præscr. 30. ann.* nec filuit, nec negligens fuit, qui ab unò correorum petiit. Deniq; non tenetur creditor ab omnibus petere, sed unum eligere potest: *l. 3. §. 1. ff. de Duob. reis.* Igitur non nocebit ei omisio ejus, quod non tenebatur agere. *l. 151. ff. de R. J. arg. l. 8. ff. pro Emtore.* Idemque verum esse existimamus, etsi correi socii sint; quia tamen adhuc in solidum ab unò peti potest. *l. 27. pr. ff. de Pact.* Sanè si id agi constet, ut tantum pars ab unò exigatur, ratione partis interrupta videbitur præscriptio: quo sensu vera est sententia Thesaur. *Decis. 203.*

§. 52. Huic vicina quæstio est, an mora unius correi noceat reliquis? Quod negatur, *per text. expr. in*

in l. 32. §. p. ff. de Usur. mora enim alii nocere non debet; c. 25. de Reg. Jur. in 6. cum per culpam committatur, l. 21. & seqq. ff. eod. culpæ autem effectus autorem excedere non potest. l. 155. pr. l. 75. ff. de Reg. Jur. Quod hætenus omninò certum est, ne correus ex morâ correi ad usuras & fructus teneatur.

§. 53. Sed cum moræ effectus non tantùm sit augmentum usurarum & fructuum, sed & perpetuatio obligationis, seu rei periculum, hinc dubium videtur, an mora etiam noceat hætenus correis, ne interitu rei liberentur? Sed cum textus & rationes præc. §. 51. allegatæ generales sint, nec exceptio hæc ex jure appareat, idem statuendum erit, ideoque is qui moram commisit non liberabitur rei interitu, reliqui correi liberabuntur. Obj. l. pen. ff. de duob. reis ubi factum correi reliquis nocet. Resp. Agitur ibi de facto, quod res debita interit; id enim nocet, id est, non prodest ad hoc ut liberentur correi; non verò de facto, quod in sola personæ culpa consistit, adeoq; aliis nocere nequit; nec de novatione, acceptilatione &c. quæ semper profunt ad liberationem, non nocent.

§. 54. Etsi verò ita singuli correi in solidum obligentur, admittitur tamen vulgò beneficium divisionis, quod fidejussoribus datum est, etiam inter correos, quasi ex Nov. 99. Quæritur autem, an in d. Nov. id beneficium correorum fundatū sit. Et certè nec agit illa nec inscribitur de correis sed *οἱ ἀλληλεγγύων* qui sunt fidejussores mutui, ut in l. 11. ff. de duob. reis. Equidem vulgò contendunt, hæc voce correos significari, quod & ipse Cujacius ad d. Nov. 99. asserere haud veretur. Sed omnibus constat *ἑσθον* non reum, sed fidejussorem dici; idq; ipse Cujacius ad tit. Inst. de Duob. reis in f. fatetur;

tur, & DD. sententiam improbat. Sed, quicquid sit, usu fori certum est, correis competere beneficium divisionis, eoque ipsorum plurimum efficaciam huic securitati detractum esse; quæ tamen resarciri potest, si beneficium divisionis specialiter renunciatum fuerit: hoc factum enim omnes iterum in solidum obligantur. Hujus autem beneficium expositionem, ex materia fidejussorum satis notam, hic prætermittimus.

§. 54. Quando ergo correi debendi renunciant beneficio divisionis, indeque iterum in solidum obligantur, duo magna utrinque contentione quaeruntur, I. Si creditor tamen ab uno Correorum virilem tantum portionem exigat, an adhuc ab eodem solidum, an vero residuum non nisi a reliquis correis petere possit? Equidem id negat Frider. Pruckmannus, conscriptis duobus prolixis consiliis in *Vol. I. Conf. 7. & 8.* & defendit in thesi quoque, quod Creditor, accepta ab uno correorum virili portione, jus solidi amisisse intelligendus sit, idque communi DD. calculo receptum putat; *d. Conf. 7. n. II. & d. Conf. 8. n. II.* atque una subjungit, inclutam Facultatem Jurid. Viadr. adversæ partis patrocinium suscepisse. Nec hoc sane mirum si quaestio in thesi proponatur; certo enim constat, quod creditor, partem debiti accipiens, non videatur renunciasse juri solidi, sed reliquum adhuc exigere posse, *per. l. 8. §. 1. ff. de legat. I.* ubi id ipsum in hac specie correorum quoque asseritur. Idemque disertè cavetur in *l. 23. C. de Fidejussor.* nam & nemo jus suum remittere, jactare, aut repudiare præsumitur. *per text. expr. in l. 25. princ. ff. de Probat. & ibi DD.* Equidem creditori jus solidi tamdiu salvum & integrum est, quoad manifestè probetur, eum illud remittere voluisse: quod nullo modo probatur

batur, ex sola acceptione partis, tum per allegatos
 textus expressos *in d. l. 8. §. 1. & d. l. 23.* tum quia accipere
 partem potuit animo minuendi atq; ita facilius per
 partes consequendi debiti: & hoc ergo, non verò re-
 mittendi & repudiandi juris sui voluntas præsumitur.
per. d. l. 25. pr. Quæ tam certa & manifesta sunt, ut fru-
 stra hanc thesin Amplisf. Facultatis impugnaverit
 Pruckmannus; quam & prolixius defendunt & com-
 munem esse DD. sententiam docent Kœppen. *P. I. de-
 cis. 56. n. 16. & seqq.* H. Pistor. *lib. I. quest. 9.*

§. 55. Neque adversatur *l. 18. C. de Pact.* nam è con-
 trariò ibi correis debendi expressè probatio injungi-
 tur, creditores ex parte debiti correum PRO SUA PER-
 SONA solventem admisisse, *in verb: Si creditores ex parte
 debiti admisisse quenquam, pro suâ personâ solventem pro-
 baveritis &c.* His enim verbis: *pro suâ personâ*, neces-
 sariò infertur renuntiatio solidi; quia creditor, qui
 admittit ut correus pro suâ (adeoq; non pro alterius
 correi) personâ solvat, ille manifestè plures personas
 in solutionem admittit, & quemq; pro suâ personâ, seu
 viritim solvere concedit. Si ergo correus hoc proba-
 verit, quòd creditor correû, non modò partè, sed & pro
 suâ personâ eam offerentè, admisit, satis probavit, eû
 admisisse partes pro personâ, seu, quod idem, viritim.

§. 56. Si itaq; in specie à Pruckmanno allatâ, ali-
 unde quam ex solâ exactione partis ille animus pro-
 bari potuit, nemo contradicet: Allegat creditorem
 §. Epistolis, ad duos correos emisiss, ita se declarâs-
 se, & in quartâ expressè scripsisse; *Er begehre von C.
 nur Bezahlung seiner portion und Anthells:* Imò
 creditorem noluisse jusjur. calumniæ, eâ de causâ si-
 bi delatum de præstare. Hæc si vera sunt, de illa specie
 & causa nemo litigabit.

E

§. 57.



§. 57. Quæritur II. Quando creditor unum Corream admittit, ut pro suâ persona seu virilem solveret, & adhuc plures correi sint, an ab horum quolibet quoq; virilem tantum, an verò quod residuum est in solidum petere possit? Quæ & ipsa quæstio voluntatis est, & videndum quid actum sit; uti enim cum unò ita planè pacisci potest, *ne ab eo petat*, quod pactū reliquis non prodesse constat *supr. §. 19. & seqq.* ita multò minus, si pactus cū eo sit, *ne solidum ab eo petat*, reliquis proderit. At indubio, viriles in omnium personis admisisse videtur, qui in unâ admittit; nisi restrictionem probet creditor: Nam qui admittit ut corream solvat pro suâ personâ, id est, *für sich und seine Person*, quasi, *zu seinem Persönlichen antheil* / ille primum in genere admittit plures personas & portiones in solutionem: deinde, cum dicitur, *für seine person oder portion*, implicite continetur, *nicht für der andern Corream person oder Portion*: Ergo & horum partes adeoq; viriles intelliguntur, nisi contrarium doceatur. Atque hætenus admittimus sententiam Thoming. *decis. 47. Carpz. p. 2. const. 17. def. 11.*

§. 58. Correi, qui sunt fidejussores mutui naturam fidejussorum sequuntur. *l. 11. pr. ff. de Duob. reis.* Et, si duo correi genus debent, non possunt singuli nisi ejusdem speciei partes solvere. *l. 34. §. 1. de solut.* Quæ, uti & alia, quæ adhuc addi possent, obscura hæc sunt.



ULB Halle

3


002 061 333




sb

VDM







Farbkarte #13

B.I.G.

1699,9

13

D.
CA INAUGURALIS,

IONE

EALI,

M
INE BENIGNO,

STATE AMPLISSIMI
ILLUSTRI ET CELE-
BIA VIADRINA,
DE

COCCO COCCO JO

MI ELECTORIS BRAN-
q; AULÆ ELECT. CONSILII,
ALMA VIADRINA ORDINARIO
PRIMARIO,

ORALIS PALATINI & COL-
AD. HEIDELBERGENSI DECRET.
RDIN. DIGNISSIMO,
isfa devotione colendo,

NTIA
HONORES & PRIVILEGIA
SENDI,

xamini submittet
PHORUS SCHEFFER,
ASSUS,
JURIDICO

. Horis ante. & pomerid.

S CHRISTOPHORI ZEITLERI.

